The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Augustinus de duabus animabus (fol.4rb)

1. Hec est uita eterna. ut cognoscant te uerum deum et quem misisti. iesum christum. et enim anima quamuis sit immortalis. tamen quia mors eius rite dicitur a dei cognitione auersio. cum se conuertit ad deum. meritum est uite eterne consequende. ut sit eterna uita sicut dictum est ipsa cognitio. conuerti autem ad deum nemo nisi ab hoc mundo se auerterit potest.

   ait enim magister deus: haec est autem uita aeterna, ut cognoscant te solum et uerum deum et quem misisti Iesum Christum. etenim anima quamuis sit inmortalis, tamen quia mors eius rite dicitur a dei cognitione auersio, cum se conuertit ad deum, meritum est aeternae uitae consequendae, ut sit aeterna uita, sicut dictum est, ipsa cognitio. converti autem ad deum nemo, nisi ab hoc mundo se auerterit, potest.

   Augustinus Hipponensis, *De duabus animabus*, 8 (CSEL 25.1, I. Zycha ed., pp.64-5, ll.22-23, 1-6). cf. Ioh. 17:3

2. Uoluntas est animi motus cogente nullo ad aliquid. uel non admittendum. uel adipiscendum.

   definitur itaque isto modo: uoluntas est animi motus cogente nullo ad aliquid uel non amittendum uel adipiscendum.

   Augustinus Hipponensis, *De duabus animabus*, 14 (CSEL 25.1, I. Zycha ed., p.68, ll.23-25).

3. Peccatum est uoluntas retinendi uel consequendi quod iustitia uetat. et unde liberum est abstinere. quamquam si liberum non sit non est uoluntas. sed malui grossius quam crupulosius diffinire.

   ergo peccatum est uoluntas retinendi uel consequendi quod iustitia uetat et unde liberum est abstinere. quamquam si liberum non sit, non est uoluntas. sed malui grossius quam scrupulosius definire.

   Augustinus Hipponensis, *De duabus animabus*, 15 (CSEL 25.1, I. Zycha ed., p.70, ll.15-17).

4. Peccati reum tenere quemquam. quia non fecit quod facere non potuit. summe iniquitatis est et insanie.

quia dicere animas et malas esse et nihil peccare plenum est dementiae, dicere autem peccare sine uoluntate, magnum deliramentum est, et peccati reum tenere quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summae iniquitatis est et insaniae.

Augustinus Hipponensis, *De duabus animabus*, 17 (CSEL 25.1, I. Zycha ed., p.73, ll.24-28).